



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB.BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Gy. 10.

JOH. MELCH. STEINBERGII

33.

ORATIO

De

SACRIS & CIVILIBUS MUNIIS
NON MARITANDIS.

DICTA

Cum Fasces Academicos propriid. Kal. Aug.
Ann. MDC. LXVIII. in Incluto
HERBORNÆO susciperet.



*Cour Mons.
Wilhelmi,
son trestte ser
Steinb.*

HERBORNÆ NASSOVIORUM.

Typis TOBIÆ JACOBI Typographi. 1668.



ILLVSTRI & EXCELLENTIS-
SIMO VIRO,

WILHELMO CURTIO,
EQVITI BARONETTO,

Summis honoribus & Legationibus, pro
Rege Magnæ Britannia in Germaniâ
Summâ cum laude defuncto,

S. D.

IOH. MELCH. STEINBERGIVS

Rationem an Velitationē Academicam
ἐξ ὑποθέσεως ferè & meditatā & dictā, sub
incluti tui nominis auspiciis lucem vi-
dere, & ab eo potissimam scenerari patere, Vir
Excellentissime: tuo quidem nitore indignā, ni-
tore praesertim styli & culta dictionis tuae, ut na-
turali pulchritudine exurgens, ita & toris &
nervis suis mascula, adeoq; ipso in orbe eruditorū
merito celebratissima; sed stricturas proinde suas
& splendorem à tuo unice mutuaturā. Ut fi-
duciam & animum prodeundi illi facit haud i-

gnara illa mihi tua erga me & mea, indulgentia,
 quatu, ut ille ait, nostras aliquid esse putas nu-
 gas; ita necessitatem quandam addit, vetus &
 pregnans desiderium, Isocratico illi satisfaciendi
 monito, πρέπει τῆς παίδας, ὡσαύτῃ τῆς ἑσίας, ἔτω ἢ τῆς φιλίας πα-
 τερικῆς κληρονομεῖν. ut rei familiaris, ita & amicitiae
 paternae capienda est liberis haereditas. Re-
 cordor & probe, optimum & caelitem jam pa-
 rentem meum, de luculentâ & benevolentia & a-
 micitiâ tuâ, haud aliter quàm de bono ac caelesti
 quodam munere fuisse sibi gratulatum. Hoc igi-
 tur Bonum ut haereditariâ quâdam transmissio-
 ne propriû mihi facias, captatâ occasione à te
 jam olim submissè ex ambire, quod nunc de-
 mum exequor, constitui; mihi inquam eò digni-
 ori paternae amicitiae, quòd pridem paternae ve-
 nerationis erga Virtutes & merita tua, toti orbi,
 & erudito potissimum, cognitissima, haereditariâ cer-
 tissimo. In qua quidem hic excurrere, ut mode-
 sti tua, ita & angustû hujus papyri equor in-
 tercedit: nisi fortè immensum ego longius praefari
 quàm Dixi, instituerem, & simul meritissimò
 in Diogenianum ac facetum scomma de Vastis

Et augustis angusti Oppiduli Portis notissimum
 incurrere. Sufficit, nosse omnes qui te sciunt, id
 est omnigenas nationes, quid domi forisque possis
 Et prestiteris, pari eruditionis consummata Et
 longi rerum usus, pari que prudentia Et facundia
 felicitate ac gloria: magnis de rebus, sacris Et ci-
 vilibus, Togæ Et Sagi tempore Legatus: pro
 summis Principibus Et ad summos: excelsas Vir-
 tutes tuas cum admiratos, tum sublimibus ho-
 norum apicibus muneratos: Sufficit denique Eru-
 ditorum familiam, Te pridem ut Mecenatem
 veneratam, Et inter alia nomina, vel illo Et im-
 mortali nomine, immortalitati transscripsisse.
 Ad institutum unice meum regredior, quod est,
 exiguo Et exili munere prolixum Et obsequiosis-
 simum attestari animum; qui ulterioris scilicet
 impatiens mora, calenti zelo, obviam, qua se pri-
 ma sub manus dedit, arrham observantia erga
 veneratissimum mihi semper nomen perennan-
 da arripere Et pramittere voluit: Et hunc, Et il-
 lam quaeso, eodem saltem oculo Et animo digna-
 re, quo facilis ille Persarum Monarcha frigidam
 olim in cavo manus agrestis; meque proinde ad-
 dicti:

(5.)

dicti jam favoris & amoris tui protelo beare:
hoc uno saltem, gratâ vice, si nihil aliud possum,
officio defunctorum, qui calidis apud Deû pre-
cibus contendam, ut Te plenum annis, plenum
honoribus, Aquilinâ, vegetâ, et tranquillâ ita
donet Senectâ, ut Egregio Publici, et Bono Ec-
clesiæ, Literarum, ac Literatorum, sera et no-
stris demum nota sit nepotibus illa dies, quæ Te

Cœlo redonet. Dabam et vovebã é Mu-

seo meo, Herbornæ Nassoviorum,

propr. Kal. Septēb. Ann. vulg.

Æra Chr. MDC. LXVIII





ORATIO


De
SACRIS & CIVILIBUS MUNIIS
NON MARITANDIS.

*CELISSIME PRINCEPS, Princeps Ju-
ventutis: Augusta Spei & Magni Patris ac
Herois Incrementum dignissimum.*

Illustrissime Comes, SOLMÆTUS SANGUIS!

*Illustrissime Comes, Sanguis Isenburgicus, In-
gentes animos angusto in pectore versans.*

*Nobilissime & Amplissime Celsissimi & Fortif-
simi Principis ac Herois Delegate. Nobilissimi
& Strenui Viri, Celsissimo Principi à Consiliis
& nobili Comitatu. Clarissimi Professores, Col-
lega honorandi. Nobilissimi & Amplissimi Viri,
& hospites gratissimi. Reverendi Verbi Divini
Præcones. Honoratissimi denique & exoptatif-
simi cujuscunq; Ordinis Hospites. Tuq; lectissi-
ma studiosæ Juventutis Corona.*


Ratum & statum illud Legum
 nostrarum Scitum, Principali-
 teratoque fultum Rescripto,
 quod revolutis in orbem vici-
 bus, Magistratum Academi-
 cū in Theologorum Ordinem, ac in me pro-
 inde, licet deprecantem, devolvit, Honorē
 nescio an onus, munus saltem quo mihi sem-
 per oneratio quàm ornatio visus sum, & in
 humeros gravitatē illius haud semel, nec sine
 fastidio expertos, rejicit. Ne jam omnes one-
 rosi istius muneris partes ad calculum revo-
 cem; ne ea quæ vel à male suadæ Eridos insul-
 tibus, vel ab improvidæ ætatis impetibus &
 deliquis tædia portendi & metui queāt, me-
 morem multis; en! jam à limine auspicalē &
 non postremum onus mihi subeūdum! partes
 scilicet solennes dicendi apud Vos, Audito-
 res! quas cur oneris nomine & censu censeā,
 plurima oppidò faciunt: vel cum primis fors
 illa mihi parilis cum insigni illo & rudem me-
 rito apud Plutarchum Sagittario, dexterita-
 tis suæ latè famigeratissimæ specimen ab Ale-

xandro M. edere impense quidem postulato, sed obsequium ob longam ab artis suæ exercitio cessionem constanter deprecante. Diu pariter certè est, cum nec Rostra hæc conscendi, diu cum nec Oratoriam feci, nec Eloquium spatia ac delicias inuisi: Imò Sacris hætenus veluti immersus, arduis implicitus, & in Polemicis campis, ubi major spinarum quam rosarum succrescit copia, & ubi major rerum quam verborum, major ponderum in erroris hyperaspistas vibrandorum, quam tornandarum ex arte periodorum, quam vernantium eloquii lenociniorum, & consimilium phalararum cura & ratio habetur, detentus, imò & pulvere eristico Gratiis indecoro adhuc conspersus, ab omni orandi facilitate imparatus, & ab omni apparatu oratorio destitutus mihi videor. Accedit imprimis in verum oneris istius superpondium, onerosa & anxiosa in delectu opportuni ad dicendum argumenti sollicitudo, quæ animum haud leviter angit, in varia distractum & huc illuc impulsus, dum unice eò tendit, ut si non cum Tullii dicendi

artem,

artem, saltē cum Hecathéo dicendi opportu-
 nitatem splendido & lectissimo approbē au-
 ditorio. Etenim varium genus & argumen-
 tū Orationis mihi ultrò vasta Theologiæ no-
 stræ latifundia, tot mysteriorum, tot nodorū
 vindice in omni scientiarum genere dignorū
 foeta & abundantia, porrigunt: haud paucio-
 ra nec exiliora sufficit Historiæ quæ Ecclesia-
 sticæ quæ Exoticæ, Annalium quæ Sacrorum
 quæ profanorum campus vastissimus: nec be-
 nignam materiē denegat præsens rerum in la-
 borante hoc & nova quotidie parturiente Se-
 culo facies, quæ nos subinde pro pace Hiero-
 solymorum impellit perorare. Possem & de-
 niq; de munere Magistratus Academici; pos-
 sem & de officio Civium nostrorum, Civium
 Palladiorum multa, nec importuna nec alie-
 na differere. Sed dum propiūs tandem hinc,
 in nomina ista Magistratus, Sceptri, & Pote-
 statis, illinc, in Theologorum & Ministrorū
 Christi Ordinem, in quem eadem ista nomi-
 na & Insignia solēt conferri, quod vel in De-
 cessore meo, & in me Successore videre est,

B

reflecto;

reflecto; en commodum: in tempestivâ dis-
 rendi materiem, subit animû cogitatio & du-
 bitatio, ecquid cōvenire queant, & in unâ se-
 de morari, majestas & ministerium? imò alti-
 oris & extentionis indaginis enascitur quæsi-
 tū an Problema? Utrum, Sacrorum Mystis,
 ad Sacra vel in Scholarum vel Templorum a-
 dytis tractanda & excolēda à Deo vocatis, &
 destinatis, fas sit & licitum, se rebus, consiliis,
 & muniis, quæ potestatem vel jurisdictionē
 civilem involvunt, immiscere & implicare?
 Haud ἀνεσδιόγουσιν forsan, nec à tempore & loco
 hoc alienum perorandi, & aures ac patientiā
 vestram in illustri hoc Confessu hodiè occu-
 pandi argumentum, Auditores! à cujus certè
 opportunitate, si aurium vestrarum copiam,
 & linguarum favorem habeā mihi polliceri,
 illarum frigus desinam proletariis & ambiti-
 osis deprecari suppliciis: eò magis quòd com-
 pertus mihi olim & haud semel animorum æ-
 què ac aurium vestrarū favor, vetet me super
 benevolētia quam ultrò & proni indulgetis
 trepidare.

Problema

Problema tantum non dixi materiem quã
 Oratione suscepi persequendam : animum
 quippe primo contemplatu aptam suspende-
 re, & in bivio cum Hercule ita constituere,
 ut quid & pro quibus sentiendum, pro ajen-
 tibus ne, an pro abnventibus calculus veniat
 ponendus, haud ita in proclivi liqueat pro-
 nuntiare. Abjudicaverone Sacrorum Mystis
 omnem negotiorum & muniõrum politico-
 rum gestionem, curam omnem, omne cum
 iis commercium? At verò regeret statim à li-
 mine mihi aliquis, quid ergò tibi Sacrorum
 profitenti, cum Magistratus jam modò à te
 suscepti axiomate? quid tibi cum Sceptri, &
 reliquorum potestatis Insignium apparatu?
 Imò altiùs longè assurgendo, oggeret mihi re-
 rum quæ in mundo geruntur non imperitus,
 Ecquid tu ille fueris, qui mori & ritui passim
 & olim solenni obniti, vel obloqui sustineas?
 aut qui ignores fortean in Orbe omni Chri-
 stiano, non Pontificio demum, sed & Prote-
 stante, sed & Reformato, usum illum rece-
 ptum & inolitum ferè? Non prisca demum

Secula, sed & hoc novissimum, potissimorum
 Imperiorum habenas à Consiliis Patrum &
 Præfulum, vel purpurâ, vel Episcopali Pædo,
 vel Archiepiscopali Pallio insignium, pari fe-
 licitate & gloriâ temperatas vidisse? Tran-
 vectis enim silentio Exemplis quæ nobis in
 hanc rem tot Monarchiæ sufficiunt, neminem
 ignorare Ingentes illas animas, æterna illa no-
 mina, Richelios, Mazarinos, Ossatos, & cõ-
 similes Ecclesiæ Romanæ Principes, cœlo æ-
 quatos, & adhucdũ æquari solitos, tanquam
 Genios illos Celticæ Tutelares, qui annuen-
 te & applaudente quasi cœlo, Victorias &
 Triumphos Terræ Galliæ auxerint, Limites
 porrexerint, Famam verò & gloriam astris
 terminaverint? Nemini pariter, in magno a-
 liorum numero, ignarum esse Inclutum illum
 Venetorum Theologum per antonomasiam
 quandam sic appellatum, *PAVLVM* scili-
 cet *SARPIVM*, Historiæ Concilii Triden-
 tini Scriptorem anonymum, sed toto orbe
 nominatissimum? Primarium inquam illud
 Augustissimi Senatus Oraculum, cui gemina
 Venetorum

Venetorū Arcanorum Sacraria (quod nemini olim concessum) fuerunt reſerata & credita; & à quo paucis ante decretoriam horis, in emortuali ipſo cubili reſponſum petière Auguſtiſſimi Patres. Quin ut paucis multa; neminem neſcire, præter ſummum & Romanum hodiè Pontificem triplici Diademate, nomen REGNI gerète, inſignitum, & geminum Enſem, Temporalem æquè ac Spiritualem, latè vibrantem, Episcopos quoslibet, vel pleroſque ſaltem, tam ſeculari quàm ſpirituali eminere poteſtate, aut etiam Principatu. Neminè porro fugere, in Supremis Curiiſ, in Publicis Comitiiſ, & Conſeſſibus; & in ſanctioribus etiam nū Regum Conſiſtoriſ, Antitiſtes & Primates prima tenere loca & ſuffragia; nec id apud Monarchas demum Caput illud Romanum agnoſcentes & reueritos, ſed & apud Regna illa ad Septentrionè, Romani jugi expertia; ſed & quod magis eſt, apud ipſos toto diuiſos Orbe Britannos, & fidem & libertatem ſaniorè amplexos; ſed & apud complures noſtratium in Orbe paſſim

fim reformato Principum, Sacrorum Præco-
 nes & Myſtas Conſiliis ſuis haud rarò adſci-
 ſcentium. Denique, priuſquàm ad priſca Ve-
 terum devenimus Chriſtianorũ exempla, ne-
 mini non dictum eſſe, nemini non celebratũ,
 Inclutum illum Aſcaniæ Principem, Georgiũ
 Anhaltinum, illũ populi ſui, non uno ſed du-
 plici nomine, ſub primis inſtaurandæ Eccleſi-
 æ tẽporibus, Paſtorem; Animæ æquè ac Cor-
 poris; æquè, ut de eo Beza noſter, *Populi Re-*
ctorem in terris, ac Ducem via ad Cælos. Imò
 verò qui rem hïc ab uſu & exemplis confectã
 voluerit, in poſtremis hiſce ſeculis haud ſubſi-
 ſtens, nos inſuper retrò ad priſcorũ tẽporum
 memorias replicandas, ad vetuſtiſſimorũ po-
 pulorum ritus attendẽdos, & omnigenarũ na-
 tionum conſuetudines conſulendas amanda-
 bit. Non à Gentilibus demũ, Græcis & La-
 tinis, ſed & à Iudæis, ſed & à Chriſtianis, nec
 ab Occidente demũ, ſed & ab Oriente, & o-
 mnibus tantum non, quaqua verſum patet or-
 bis, plagis, Exempla afferet Myſtarum, An-
 tiſtitum, Pontificũ, res Divinas cum huma-
 nis,

nis, Sacras mixtim cum civilibus & politicis tractantium, & moderantium. De Judæis in promptu & in confesso est, haud longo post Zorobabelem tempore, rerum summam penes Summos Pontifices, usque ad exortū Asamonæorum Imperium, fuisse: *οἱ Ἀρχιερεῖς*, inquit ille Antiquitatum Judaicarum Scriptor,

προεσήκεσαν τῶν πραγμάτων ἄρχης ἢ τῆς Ἀσαμοναίας συνέβη βασιλεύειν.

Unde & factum ut Alexandro M. Hierosoly-
mam ingredienti, non Dux aliquis, sed Jaddus Pontifex eat obviam, idem ille à quo Alexander tanquam à rerum potente, auxiliares copias & commeatum petierat: Prout & Ptolomæus Philadelphus, si eidem rerum Judaicarum Scriptori accredimus, non ab ullo Principe Judæo, sed ab Eleazaro Pontifice, LXX. Bibliorum Sacrorum Interpretes poposcit. Ægyptios pari cum Hebræis sorte, Sacerdotum Imperio usos, nos docet inter alios Synesius, hisce verbis, *ἢ γὰρ Ἀιγύπτιοι, ἢ Ἑβραίων γένος χρόνον συχνὸν ὑπὸ τῶν Ἱερέων ἐβασιλεύθησαν.* Sed altiùs longè omnibus istis Pontificibus, ad tempora primi credentium Patris reflectentibus, occurret

curret ante omnia, ingens ille Melchisedecus, quem si merum hominem velimus, indubiū est eum à S. Paginâ Regem & Sacerdotem simul nuncupari: Certum & ab ævo ejusdem Patriarchæ, Primogenitos in qualibet familiâ Principes quosdam quasi politicos, & Sacerdotes simul, ante erectum Tabernaculum & substitutos in eorum locum Levitas, perdurâsse. Lubet ne porrò Ethnicorum sapientiam & consuetudinem animo perlustrare & perpendere? Vix ad eò in Historiarum & Pœtarum monumētis hospes reperiat, cui ignarum esse queat, constanti more priscis gētibus servatum, ut Civiles administrationes Sacris, & Sacras Civilibus confociarent: Regium nominatim axioma Pontificio, & Auguratu potissimūm, combinarent. Quid Romæ, post exactos Urbe Reges, notiu, REGE SACRIFICULO, vel REGE SACRORUM? Atheniensibus ΒΑΣΙΛΕΪΟΣ nomine signanter indigetato, & ad sacra illa peragenda, quæ à nemi- ne nisi à Rege administrari poterant, destina- nato? A primo Cæsare subsecuti omnes, eti-
am

am Christum amplexi & professi Imperato-
 res longâ satis annorum serie, summum Põ-
 tificatû cum Imperatoriâ vel Dictatoriâ jun-
 xerunt Dignitate; Imò à primo illo Rege à
 quo Roma suum nomen sortita, reliqui om-
 nes: A Romulo inquam; de quo disertissi-
 mus Nepotum ejus, in suis de divinatione li-
 bris, asserit, *non solum primum Urbis Paren-
 tem, sed & primum & optimum Augurem fu-
 isse; multa ibidem fusè de omnibus olim Re-
 gibus & Principibus Viris Auguratus digni-
 tate claris edisserens; Omnino, addit ille Ro-
 manæ eloquentiæ Parens, apud Veteres qui
 rerum potiebantur, iudem Auguria tenebant:
 Ut enim sapere, sic divinare, regale ducebant.*
 De Persarum Regibus, inter alios, memorat,
*nec quenquam Persarum Regem esse posse, qui
 non ante Magorum (quorum erat Sacra tra-
 ctare) Disciplinam scientiamq; perceperit: quia
 expressum porrò enarrat Senatus Romani
 Decretum his verbis olim conceptum, Prin-
 cipum Filii Sex, singulis Etruria Populis tradā-
 tur.* Si ab Oratorum Principe, ad Principē
 stubis C Philo-

Philosophorum nos convertamus, ille in iis quos de Republicâ scripsit libris, nos edocet, multis in locis & Civitatibus, Sacerdotium cum Civili administratione & posse sociari, & etiamnum sociatum; mentione simul jactâ REGIS SACRORUM, quem jam apud Athenienses obtinuisse indicavimus. Principem Poëtarum Græcorum si adreamus, observare fuerit eundem haud rarò Reges & Principes suos Sacris operantes in scenam producetem. Apud Musæ Latinæ Principem, occurrit nobis Rex ille, famosissimæ Insulæ Deli in Græciâ Sacerdos, *Rex Anius, Rex idem Hominum, Phæbiq; Sacerdos*. Denique Mantas & Hierophantas Græcorum, Druidas Gallorū, (Sacrorum simul & Judiciorū Principes olim dictos) & Gymnosophistas Indorum; civilium pariter ac Sacrorum curam gessisse, proclive foret demonstratu. Ad Muhammedanorum Sacra & Instituta si libet deflectere; ut insignem jam illum Orientis Impostorē, Ducem & Prophetam simul famosissimum, silentio transvehamus, præstò aderit ille hodie dum

diedum Princeps Mystagogus, supremus ille
 Theologus, ille *Мурти*, ad omnia ardua,
 omnia gravia rerum gerendarum & suscipi-
 endarum momenta, adiri & consuli ante o-
 mnes solitus: fidē de eo luculentissimā Bus-
 bequio, sed indubiam cū primis quotidiano
 usu faciente. Eodem & adhiberi *Fakihos*, &
Moulas, Doctores & Legisperitos, ut & *E-*
mires, Muhammedis posteros sanctitatis no-
 mine celebres, in cognito, & confesso est.
 Persas suum *Sedder*, Sacris pariter & civili-
 bus intentum & distentum habere; ut & in
 numero Religiosorum suorum Politarchas ac
 Reges haud rarò recensere, vetant nos igno-
 rarere rerum Persicarum Scriptores. Sed quor-
 sum multis & diu in exoticis Gentilium &
 à fide christianâ alienorum Exemplis, ritibus,
 & moribus morari, quando domi, quando
 inter Christianos, planè gemina prostāt exē-
 pla? & quando non apud demum Christia-
 nos illos qui à Româ Catholicismū, & à Po-
 tifice nomen suum arcessunt, sed & apud eos
 qui à Christo tales merentur nuncupari; idq;

non recentioris demū, sed & priscaevi. Præter enim ea quæ à temporibus restitutæ & reformatæ Ecclesiæ mutuavimus, tempora institutæ & nondum deformatæ haud absimilia videtur nobis suppeditare. Suffecerit forte vel instar omnium, quod à nobis insinuatum, & ante nos à summis observatum Viris ex Zosimo, fidem faciēte, Pontificis Maximi Stolam & titulum, à Gratiano demum Imperatore primitus repudiatū, quem Decessores ejus omnes, Constantinus, tres ejusdem Filii, & Successores, & porro Julianus, Jovianus, Valētinianus, & Valens, non detrectatum in se receperant, gesserantque. Recens si videatur quod in Ascaniæ Principe adduximus exemplum, temporali & spirituali Pædo populum pascente, en! longè antiquius! luculentissimum illud Theodoreto memoratum, JACOBI inquam illius, & Principis & Episcopi simul Civitatis Nisibis, quæ & Antiochia Mygdoniæ dicebatur: Principis & Episcopi, cum sanctitate, tum miraculorum gloriâ incluti, teste eodē Theodoreto locuplete.

(21.)
plete. Tandem si ingerat fortè quispiam,
necdū Exemplum ex sacris illis Paginis quæ
nobis in Normam & Cynosuram vitæ cesse-
runt, prolatum: en! ergò & exempla in hâc
rem sacrâ! en exempla, non ab unis adverfa-
riarum partium, sed & aliarū Theologis, ob-
tendi solita! Exempla inquam Levitarum in
Chronicis sacris memoratorum, & in Præ-
fectos ac Judices, cū à Davide tum à Josa-
phato selectorum. De Davidis quidem tem-
poribus, en quid sacra exerte referat Historia:
*Ex numeratis Levitis, vicies quater mille erant
qui præessent Operi Domus Jehova: Modera-
tores verò & Judices sexies mille. De Josapha-
to verò testatur eum, Jerosolymis constituisse
quosdam e Levitis & Sacerdotibus: & ex pri-
moribus paternarum familiarū Israelis, ad Ju-
dicia Jehova, & ad Lites.*

Ecquid ergò medius, ecquid hîc in bivio
adhuc hæres ampliùs? interfabitur aliquis:
quid cessas, pronus & promptus in agentium
partes cōcedere? Ecquid adhuc ambigis, ge-
minas posse in eodē homine sociari, & ami-

câ fronte conspirare Spartas, Sacras & Civiles? nec Sacrorum Mystas à Consiliis & muniis politicis arceri posse, vel debere? tot nèpè tantorū exēplorum præcūtiū fretus auctoramentis? tam cōstanti & solenni tot populorū, tot nationū præludente usu & more confirmatus? non Gentilium demum sed & Judæorū; nec Judæorum tātūm sed & Christianorū, nec pseudochristianorū unicè, sed & vere talium; nec unius aut recentis sæculi, sed & plurium, sed & priscorū, & saniorum adhuc. Plausibilia etenim fateor! sed an applausu confestim excipienda? sed an calculo candido actutum ita donanda, ut nigrum seorsim sentientium Opinioni absq; ulteriori deliberatione destinemus, necdū auditis, necdum pensitatis rationum & autoritatū, quibus dissensum suum immoliuntur, fulcris; id verò ab æquo & bono ita abhorrens iudico, & vos juxta mecum judicatuos arbitror, Auditores æquissimi! ut alterius auris, alteri parti sine dubio reservatæ, si non favorem, saltē copiam, audeam à vobis jam expectare, jam mihi

mihi polliceri; audituris scilicet partis nunc
 adversæ Patronos, ita causam suam orantes,
 ut, quod credimus, etiam peroratuos, ita a-
 gentes, ut etiam peracturos; adductaq; Exē-
 plorum in contrarium præsidia, ita oppositu
 Legum & Exēplorum validiorum pro re na-
 ta infirmatuos & subversuros, ut an castris
 Adversarios exuerint, vestra futura sit cogni-
 tio, vestra decisio. Sacras itaque ante omnia
 fūctiones à civilibus, ita suis disparant, ita suis
 disterminant limitibus; ita *divisum imperium*
cum Jove Casarem habere contendunt, ut idē
 nefas pertendāt, Sacris & politicis simul mu-
 neribus Sacrorum Mystas implicare & onera-
 re, ac sacra profanis, sive *ἀσύγκλωθα σύγκλωθειν*, idē
 ac coelestia terrenis, æterna caducis, tempo-
 ralia spiritualibus, & coelum quodammodo
 terrā confundere. Quas in medium & in a-
 ciem educunt ac explicant copias, non Exē-
 plorum demū, sed & Legum sunt munimēta,
 sed & autoritatum statumina, sed & Ora-
 culorum, non ex vano quopiam Tripode, sed
 é divinâ & coelesti revelatione promptorum
 fundamina.

fundamenta. Vis enim Leges? Vis Decreta ex-
 tra erroris aleam posita? en! tibi non Scita de-
 mum & placita sapientum Ethnicorum, sed su-
 premi Edicta & interdicta Legislatoris! Su-
 premus ille Ecclesiae Rex & Legislatores, ille
 qui palam negat Regnum suum esse mundo, qui
 in montem fugit refugiens imperium; Ille qui
 nec vel Iudicem, vel arbitrum inter fratres de-
 exerciscundam familiam litigantes agere voluit; i-
 mmo qui solvit ipse magistratui tributum, pro-
 testatus se non venisse, ut sibi ministraretur,
 sed ut ipse ministraret; ille inquam obortam, &
 deprehensam inter Discipulos suos ambitiosae
πειρασίας contentione, sic apud sacros suos Ama-
 nuenses edicit, sic *φιλοτίμος* illis interdicit, *Prin-*
cipes populorum dominatum exercent in eos, sed
non ita erit inter vos, sed quicumque inter vos vo-
luerit fieri magnus, sit vester minister, & qui-
cunq; inter vos voluerit esse primus, sit omnium
servus. Nec solentius certe, nec clarius omni
 Dominatu & axioma politico potuit cœ-
 lestis & supremus Doctor, Discipulis inter-
 dixisse! I, ergo tu, inquit hac occasione Ber-
 nardus

ad fastosum Papam Eugenium, civilibus & bellicis muniis intentissimū, *Et aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum aude tibi usurpare! planè ab alterutro prohiberis: si utrumq; simul habere voles, perdes utrumq;.* Forma Apostolica hac est: *Dominatio interdicitur, indicitur ministratio.* Ut enim in antecessum jam dixerat, & eximiè planè, *Nos ut multum sentiamus de nobis, meminerimus impositū ministerium, non Dominium datū: Disce Sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias Propheta.* Nec herclè locupletiores Magistri Interpretes desideremus, quàm sacros & θεομαρτυρῶν Discipulos, non verbis & scriptis demùm, sed & constanti vitæ instituto. Ut verba enim denudè cordati illius Eugeniani & Papalis typhi profligatoris longè celebratissimi mutuemus, *Non monstrabunt, inquit, ubi aliquādo quispiam Apostolorum Judex sederit hominum, aut divisor terminorum, aut distributor terrarum: Stetisse lego Apostolos judicandos, non sedisse judicantes.* Ille ipse qui Princeps vulgò audit Apostolorum, ille à quo triplicem suam Coro-

D

nam

nam arcessere præsumit eminentus hodiè Orbis Christiani Monarcha œcumenicus, sic olim, sic difertim ad omnes presbyteros, *Ego Sympresbyter vester Presbyteros inter vos obsecro, Pascite Gregē Dei, ἔ κατακυριεύοντες τῶν κλήρων non dominantes in cleris.* Ille ne quæso, dominatū politicū presbyterorum Ἐπισκοπῆ conjugādum censuerit, qui dominatum omnem à Presbyteris longūm jubet faceffere? Omnem dico: Vanum quippe & conclamatae causæ signum tollunt, temporalis Episcoporū potestatis patroni, quando *κυριεύειν* prohibitis, pertendunt dominatum demū tyrannicum, non verò legitimum, inhiberi; vim voci *κυριεύοντων* facturi. Quis etenim nisi vel insigni litetarum græcarum imperitiâ, vel præjudicatis opinionibus occœcatus inficias iverit, in classicis & idoneis planè Scriptoribus, in ipsomet adeò Novi Testamenti Instrumento, *κατακυριεύειν* crebro ac recepto significatu Dominatum simplicē & legitimū insinuare? Quem fugiat in præfato jam & laudato Christi ad Discipulos typhum sæculi spirantes Interdicto, eos promiscuè

scuè & κυριεύειν, & κυριεύαν, & ἀρχεν, & ἐξουσιάζειν, tanquã
 vocibus & mandatis planè æquivalentibus,
 prohiberi? Quid quod cum luce meridianã
 claret, sũmum nostrum Sospitatorẽ & Do-
 ctorem, nullum alium ab Apostolis suis remo-
 tum voluisse Dominatum, quãm quem animo
 fovebant? nullum aliũ quãm quem in Prin-
 cipibus Politicis agnoscebat, & concedebat?
 At verò quis dicat Apostolos tyrannicum de-
 mum votis ambivisse Imperium? quis asserat
 Christum in Principibus Dominatum & se-
 veram approbare tyrannidem? Lubetne A-
 postolo Judæorum, Gentium Apostolũ qui
 se maximis vult æquiparatum, succenturiare
 & audire ὁμόφωνον? Cognitissimum est ejus in-
 ter alia in hanc rem Edictum, quod Versio il-
 la Latina ΛΑΤΕΪΝΩ, & fautoribus utriusque po-
 testatis Episcopalis unicè authentica, sic ex-
 primit: *Nemo militans Deo implicat se negotiis
 secularibus*: hãc in superpondiũ & pondero-
 sissimã ratione subnexã, *Ut ei placeat, cui se
 probavit*. Verba sanè memoratu & inculcatu
 eò digniora, quòd licet haud unos respiciant

Pastores publicos, ansam tamen & basin de-
 derint, non prisca demum Ecclesiæ Doctori-
 bus, sed & prisca ac recētioribus Canonibus
 Synodicis, sed & Juri quod à Canonibus &
 Pōtifice nomen habet, sed & ipsismet Pontifi-
 cibus, Nicolao potissimūm eo nomine Pri-
 mo, muniōrum & avocamentorū politico-
 rum ab Ecclesiæ Christi Ministris longè se-
 gregandorum. Vis enim prisca Synodo-
 rum, vel Oecumenicarū, vel vetustate & au-
 thoritate suā venerabilium, Scita & Statuta,
 curas & procuraciones seculares ab omnibus
 Sacrorum Mystis & Ministris longūm semo-
 ventia? Diserta sunt in hanc rem, quæ vel Pa-
 tres CHALCEDONENSES Canone Tertio; vel
 CARTHAGINENSES Concilii primi, Sanctio-
 ne Sextâ; vel CARTHAGINENSES Tertij, Cō-
 stitutione Decimâ sextâ sanciverūt: eadem di-
 sertim & apertè huic Apostolico immoliti ef-
 fato & fundamento, *Neminem Deo militātem
 implicare se negotiis secularibus*. Lubet altiūs af-
 surgere? Canones ab Apostolis nomen suum
 quidem e mentiti, sed canæ antiquitatis elogio
 magnam

magnā partem non defraudandi, ad idem A-
 postoli interdictū palām alludunt; cūm Septi-
 mus eorum numero sic edicit, *Episcopus, aut*
Presbyter, aut Diaconus, nequaquam seculares
curas assumat; sin aliter dejicator. Si fidem por-
 rō quampiam fragmenta Apostolorū nomine
 in lucem data, merentur, in iis hæc sancta Pe-
 tri ad Successorem Clementem monita lege-
 re est, *Impietatis crimen est, neglectis Verbi Dei*
studiis, sollicitudines suscipere seculares. Tu ad
hoc solum vacato, ut doceas Verbū Dei. Quibus
 certē si Decreta Juris illius cui Canones &
 Pontifices nomen dederunt, Clericis omni-
 bus negotiis secularibus se immiscere interdi-
 centia, opus foret subjungere, næ! prolixum
 adeo in modum excresceret Oratio, ut & ego
 dicendo & vos audiendo, ambo defatigare-
 mur: Id quod agnoverit vel quisquis Secundā
 Decreti Parte, Causā XXI. & Quæstionē III.
 voluerit consulere. Sed tamen quā examus-
 sim porrō cum hisce omnibus quadrent pru-
 dentissima Sacratissimi Imperatoris Statuta,
 silentio non debemus præterire: De eo edo-

cemur ex iis quæ in sapiētissimo Codice & Ti-
 tulo de Episcopis & Clericis, Sanctione XVII.
 junctim cum XLI palàm decernuntur, qua-
 rum quippe vel verbis, vel argumento, patet,
*placere Clementia Imperatoria, ut nihil commu-
 ne Clerici cum publicis actionibus, vel ad curiam
 pertinetibus habeant, sed insuper absurdum de-
 clarari, imò opprobriosum Clericis, si peritos se
 velint ostendere negotiorum seculariū.* Quin de-
 nique ut à primis puræ adhuc Ecclesiæ secu-
 lis, ad depuratæ postrema descendam tempo-
 ra, quàm amicè cum priscis illis & Rescriptis
 & Decretis, Canones & instituta Ecclesiarū
 nostrarum conveniant, & maximè Gallica-
 narum, quis ignoret? ubi quippe peculiare,
 in Capite de Ecclesiæ Ministris, extat Interdi-
 ctum: *Ecclesie Minister, unà cum sacri Mini-
 sterij functione, Medicina vel Jurisprudētia ar-
 tem non possit exercere.* Sed post colligatos u-
 no corpore & coetu Patres, lubet ne singulos,
 & tamen consonātes, maximè in laudata jam
 Apostoli verba commentatos, audire? Unus
 nobis instar omniū hâc vice esto, inclutus ille
 Mediola-

Mediolanensium Episcopus, Ambrosium dico, sic verba Apostoli interpretatum, *Nemo militās Deo implicat se negotiis secularibus. Ecclesiasticus autem idcirco se probat Deo, ut huic devotus, officium impleat, quod spondit in Dei rebus sollicitus; à seculari negotio alienus. Non enim convenit unum, duplicem habere professionem.* Si fautoribus utriusque Episcopalis potestatis, magis allubescit Papæ Romani suffragium; præstò & opportunè adest, Gregorius ille & nomine & modestiâ inter Episcopos Romanos facilè primus; qui in Clericū Tituli solummodò Inscriptione fundum sibi vindicantem, anathema hisce vibrat verbis, *Si quis Ecclesiasticorum unquam titulos ponere, sive in rustico sive in urbano prædio suâ sponte præsumserit Anathema sit.* Anathema eò memorabilius, quò prægnantior ab insigni illo & Paparum, & usurpatæ eorūdem potestatis hyperaspistâ, cui *Bella arma & minæ* nomen fecerunt, confessionem sine fidiculis in hæc verba exprimit; *Ecclesiam tunc temporis nondum habuisse Politicum principatum,*
sed

*sed possedisse bona temporalia ad eum modum quo
 privati cives possident. O reum confitentem!
 ô vim divinam veritatis! Sed quando poste-
 riorum & temporum & Paparum amas testi-
 monia ô Roberte! audi alterius Præfulis Ro-
 mani, Nicolai I. tribus tantû non sèculis Gre-
 gorio posterioris, luculentissima ad Michaelè
 Imperatorem verba; *Christus Jesus*, inquit il-
 le, *actibus propriis & dignitatibus distinctis, of-
 ficia potestatis utriusq; discrevit; ut sic spiritualis
 actio à carnalibus distet incurfibus, & Deo mi-
 litans minimè se negotiis secularibus implicet, ac
 vicissim non ille rebus divinis presidere videa-
 tur, qui est secularibus negotiis implicitus. Au-
 din' ingenuum, æquè ac supremum, tibiq; in-
 fallibilem Magistrum? utroq; & revelationis
 & rationis lumine fretum, Ecclesiasticâ po-
 testatem, à seculari, suis limitibus protenus
 disparantè, omninò separantem? Audisne A-
 postolici moniti memorem & inculcantem?
 Percipisne & eundem ratione utentem, &
 quidem à discrepãte utriusq; potestate ductâ?
Discrevit Christus, inquit ille, *Officia utriusq;
 potesta-***

potestatis, actibus propriis, & dignitatibus distinctis. Eant nunc & geminam suam ostentent potestatem purpurati aut mithrati hodiè 'Επτα-
 λóφz Ecclesiæ Principes, duplicem scilicet personam, (verè personam & larvam) Principum simul & Episcoporum obtendentes! Dignum nempè qui cum Archiepiscopo illo Coloniensi falsum & appositum à Bubulco apophtegma, cujus Duarenus ex Fulgoso meminit, audiant: *Vellem* (reposuit Bubulcus Archiepiscopo splendidum apparatus, & pompaticas transvectiones quibus superbiebat, sub velamine duplicis personæ quam gereret, excusaturo) *Vellem*, inquit Bubulcus, *hoc abs te unum doceri: cum hunc Principem cujus personam geris, jam fato functum Demones ad inferos rapiant, quoniam iturum Episcopum existimes?* Si sanè notissimus ille Juris Pontificij Glossographus infociabilem munerum politicorum & Ecclesiasticorum expressurus naturam, agebat, *malè sonare Psalterium cum Cytharâ*; melius & pressius quidni dicamus, minùs aptè æterna caducis, aut cœlum terrâ commisceri?

E

Adcò



Adeo certè repetimus hîc denuo verissimam
 & inculcandâ sapientissimi Episcopi Medio-
 lanensis vocem; *Non convenit unum hîc dupli-
 cem habere professionem: maximè ob rationem
 quâ in libro de fugâ sæculi; annectit memora-
 bilem; quicquid ad alia trāsfertur officia; hoc
 Religionis cultui; divinoq; ab officio decerpitur.*
 Aut Sacram aut profanam exorna Spartam:
 aut hanc aut illam desere: Nemo uno oculo
 Cœlum; & altero simul terram potest contu-
 eri: nemo simul & coelestibus Mariæ, & ter-
 restribus Marthæ occupationibus; saltem quâ
 par est officii & conscientiæ ratione; potest o-
 perari. Parum certè muneris sacri gravitatem
 & arduitatem intelligis; parum & viriû tua-
 rum tenuitatem; quisquis homuncio diversis
 adeo provinciis, sacris & civilibus pro digni-
 tate simul obeûdis te parem arbitraris! quàm
 inani tui plenitudine, seorsim sentis à divino
 & illuminatissimo; modestissimo tamen si-
 mul Gentium Apostolo; sic; dum in ardui &
 sancti adeo muneris contemplatu defigitur,
 exclamante, *ΤΙΣ ΠΡΟΣ ΤΑΥΤΑ ΊΚΑΝ'ΟΣ?* *Quis ad
 hæc:*

hac idoneus? Quis viribus respondeat? Sagacissimus ille Regum Christianorū, Philippus Secundus, operosam & onerosā Regnandi Artem idoneo Apoteegmate & Simili adūbraturus, eam graphicè Arti Textoriæ, & Regem Textori assimilavit: hoc ipso insinuaturus, Regnandi artem totum hominem, totū Regem exigere; pari scilicet prorsus modo ac Textor Ergasterio & machinæ inhærens, totum corpus, membra omnia, cum integrâ attentione ad opus tenetur adhibere: à capite ad pedes usque: binis oculis, binis manibus, binisq; pedibus, unâ collaborantibus: quāto verò potiori ratione, arduissimam æquè ac sanctissimam omnium functionum, quæ Ministerii meritò nomen obtinuit, asseramus, totum hominem sibi vindicare, totum sibi mācipare? Quis Briarëus (ut hoc à poëtis mutuem) brachiorum satis, quis Argus oculorum habeat? vel providendis, vel agendis, & ritè obeundis, non dicam omnibus, sed præcipuis deinum sacrorum muniturum partibus? sive exædificāda veniat Christi Ecclesia, sive pro-



pugnanda Veritas? idque quidem aduersus
 hostes aut externos, aut internos: Externos di-
 co Hydras illas, & capita virus immane hæ-
 reseon vel trudentia, vel diffudentia: Inter-
 nos verò, vitiorum semina & flagitia, in ipsâ
 Domo Dei plus nimis crebrò germinãtia &
 grassantia. Quòd si certè Fabius ille & Ma-
 ximus & sapientissimus, Scutum Imperii a-
 gnominatus, in Oratione suâ de Consulibus
 creandis apud Liviũ, Æmiliũ Regillum in-
 quem prærogativæ favor inclinaverat, nega-
 bat in Consulatu retinendum, quòd nefas du-
 ceret, *Flaminem Quirinalem à Sacris mittere,*
ne Deorum cura desereretur: ecquid minori re-
 ligioni fuerit Religio Christiana? ecquid mi-
 nori ducatur piaculo, non Quirinalem, non
 profanum, sed Christianum, sed sanctum
 Deo Ministrum, usu & mancupio Christi, à
 sacris sevocare curis? Cõsimili etenim & pla-
 nè laudabilimente fuit laudatissimus ille Gal-
 lorum Monarcha, Philippus Vallesius, cùm
 Episcopos & Præsules omnes supremâ Par-
 lamenti Curiâ, & omni proinde administra-
 tione

tione politicâ arceri sanciens, hanc & similē
 Fabii subnectebat rationem, *se bonâ conscientia*
Pastores curam animarum gerentes, à tam
arduâ cogitatione revocare non posse: prout eâ-
 dem exactitudine an severitate simul fuit, A-
 lexius Imperator, qui si Nicetæ fidem habe-
 mus, Pontificem Thessalonicensē, Constan-
 tinum Mesopotamitam, suo movit officio, *ob-*
pedem ex Templo in Curiam prolatum. Si jam
 in gemina & diffusissima priscorum tempo-
 rû in hanc rem Exempla, quanvis vel ex solâ
 Dei Ecclesiâ mutuâda, luberet exspatiari, nâ!
 dicendi nullus finis, nullus aures vestras, nul-
 lus mea de lassandi latera foret. Suffecerit vel
 per summa eundo rerum & sæculorû fastigia,
 priscû Ecclesiæ Dei, cùm sub Veteri, tum sub
 Novo Fœdere statum animo perpédisse. Sub
 Veteri comperiemus, stabilito & stato semel
 cultu Dei, Levitas & Sacerdotes, Taberna-
 culo semel addictos & sacratos, eidem, donec
 rude & missione donarētur, sic affixos, ut ne-
 fas eis fuerit animum & operam aliò, vel ad ci-
 vilia, vel ad bellica applicare munia. *Sic enim*

E 3

allocutus

allocutus est Jehova Moſen, Tribū Levi ne nu-
merato, & capita eorum ne recenſeto inter filios
Israelis, ſed præſice Levitas Tabernaculo Teſti-
monij, & ipſi miniſtranto ei. Non quòd præ-
 fractas & directas inficias velimus, aut debeat
 mus ire, Levitarū ullos rerum civilium admi-
 niſtrationi admotos; quin ad merè civilium,
 & unicè addictos ultrò largimur; ſed junctim
 & mixtim adhibitos, ut & Tabernaculo &
 Tribunali ſimul, inſervierint, illud eſt, quod
 à veri abhorrere ſimilitudine credimus: prout
 & iſthuc ipſū eſt quod jaſtatiffimo & Achil-
 leo illi Eorum præſidio, qui Conſiliis & Con-
 ſiſtoriiſ Principum ſuam navantes operam,
 Exempla Levitarum illorum juri dicundo ſe-
 lectorum ſe imprimis tuentium, reponimus.
 Nec enim ignoramus, nec diffitemur Davi-
 dem & Joſaphatum Reges, Levitarum & Sa-
 cerdotum complures, quod in utroque An-
 naliū Libro memoriæ proditum eſt, in Ju-
 dices & Moderatores tum Hieroſolymis, tum
 aliis aſſignâſſe civitatibus: ſed hoc unum nuſ-
 piam legimus, hoc unum temerè non credi-
 mus,

mus, præfatos & selectos Levitas, vel é numero ministrantium Tabernaculo, vel nondum emenso ministerii curriculo, vel denique conjunctim Tabernaculo, juxta & Dicasteriis præfectos, Sacris & profanis simul operabũdos. Reluctantibus quippe apertis sacrae Historiæ verbis, disertim illos sexies millenos Levitas Judiciis præpositos, & litibus incidendis destinatos, disparatibus à vicies & quater illis millenis, qui operi Domus Jehovæ præessent, & vacarent: quæ quidem disparatio quantum à veritate dissiliret, si & priores Levitæ operi Domus Jehovæ ordinariâ functione & ^{Evangelii} addicti fuisset, quis non pervideat? ut jam taceam, factum cum sub V. Testamento, tum speciali jussu & dispensatione, parum Evangelii Ministros obstringere, parum ad imitamen privatâ authoritate inducere. Ad Novi itaque Fœderis tempora, quæ & nostra propiùs sunt, propiori & jure & vinculo nos attingentia, animo & contemplatu attentiori divertamus: Ecquid forsàn illa, ad quorum Instar nostræ efformari & componi Ecclesiæ œcono-

Oeconomiam verum est, Ministrorum Christi utràque dignitate, Ecclesiasticâ & politicâ conspicuorum, utràque potestate eminentium, Exemplaria nobis sufficiunt? Nihil minus certè! nihil tale prorsum! luculenta quippe & mera aureæ simplicitatis, & modestæ *ἡ φιλοτιμίᾳ* Specula! Audivimus jam illum, cui inter Apostolos Ordinis primatum nolimus abrogatum, presbyteros suos ad pascendū Dei gregē, sine ullâ dominationis affectatione seriò & hisce verbis cohortantē, *Non dominantes Cleris, sed qui sitis Exemplaria gregis.* Sed unum porrò, quod instar omnium fuerit, quæsò attendamus: Quomodo, fidem testor, munerum ac dignitatum civilium impedimenta, vel ambire, vel obire sustinuisset sanctissimæ illæ animæ, quæ sacrâ attestante Actuum Apostolicorū historiâ, præconio Evangelii curatiùs vacaturæ, vel curam etiam & ministerium Mensarum seriò deprecantur; asserentes, *non æquum ministrare Mensis, & relinquere Verbum Domni?* Illi ergò scilicet æquum arbitrati fuissent, relicto Verbo Domini

ni

ni, curis & muniis se immergere civilibus, au-
 licis & politicis? O tempora alia! ô alios mo-
 res! meritissimò, si unquam hîc liceat exclama-
 re! Quid attoniti, quid syderati, essetis pro-
 nuntiaturi, ô Vos primi & beatissimi Christi
 servi! Apostoli vocati, ad Evangelium sepa-
 rati! si Tumulo & beatis exciti Sedibus, in
 hæcce reduces; jactatum PETRI Successorem,
 relicto & fastidito p̄tenuis Verbi divini præ-
 conio; curâ nempè infra Majestatis suæ deco-
 rum longè positâ, contemplaturi essetis Mo-
 narcham, non uno sed Triplici decoratû Dia-
 demate, non uno, sed Duplici instructum &
 verendum Gladio, Temporalis æquè ac Spi-
 rituali! Temporalem æquè ac Spirituale for-
 titer vibrantem! nec in vilia & sine censu ca-
 pita, sed in coronata, sed in Regna; sua toti-
 dem si Diis placet, quaquaversum & quâ latè
 patet Orbis, Feuda, Reges sibi totidem Vasal-
 los subjicientia; de quorum Scep̄tris & Dia-
 dematis pro arbitratu, tanquam de nummis
 in abaco computatoriis, eadem auferendo &
 transferendo, possit disponere! quid denique

F

si

si Gladium eundem Temporalem in ipsâ A-
 cie, in ipsâ Martis Arcâ strictum, bella inquã
 non matribus demum detestata, sed piis ani-
 mabus omnibus deplorata cerneretis? mota
 non in Rivales demum ejusdem REGNI Tri-
 plicis Competitores; sed & in potentissimos
 Monarchas, sed & in Respublicas Serenissi-
 mas? gesta insuper non per Legatos à Latere,
 vel à Gladio; sed ab ipsismet Pontificibus Ro-
 manis, non Clavigeris ampliùs, sed armige-
 ris, sed galeatis, sed accinctis, sed cataphra-
 ctis; quales certè & remotiora, & proximiora
 sécula complures in primâ Exercituum acie
 & fronte stantes viderunt? O ultima verè &
 fœculenta hæc, primisq; dissimillima tempo-
 ra! non certè Apostolica, sed Apostatica &
 Apotactica jure meritòq; cognominãda! nec
 & talia demum oppositu ad prima & Apo-
 stolica; sed & ad subsequuta reliqua, usque ad
 provecctam emergentis ANO' M O T periodum!
 Percurramus enim & arbitremur animo præ-
 cipua Ecclesiæ priorum, & saniorum adhuc
 séculorũ Lumina & Columina! A primâ æ-
 tate:

tate: à Pauli *Συνεργῶ* Clemente, vel à Johannis Discipulis, Ignatio, Polycarpo, Papiâ, usque ad Gregorij primi & Magni, & lōgius adhuc provecta tempora! Ecquid ullus eorum temporum Episcopus, non dicam Pedum suum in Sceptrum commutavit, vel Diadema Principale Mithræ confociavit; sed vel dignitatibus & curis sēcularibus se implicuit, vel negotiis politicis immiscuit? Vix ipsamet quidē vel sine fronte audacia, id assertum ire sustinerit! adeò certè saniora illa purioris Ecclesiæ tempora, ambitiosæ quoque illius *φιλοτιμίας* pura erant & integra! adeò nec unum, idoneum saltem, é saniori antiquitate Exemplū in proscenium afferri queat, Episcopi potestatem politicā Ecclesiasticā conjugantis. Memoratum quippe jam nobis ex Theodoreto, JACOBI illius Principis & Episcopi Nisibiēsis simul, & miraculis clari, quod attinet; parū nostro adversatur proposito: Exemplū quippe non tam Episcopi ordinarii, negotiis muniisque civilibus se ingerentis, quàm Principis curas induentis Episcopales: donis scilicet

& miraculis coelestibus freti; & impulsu proinde quodam tacito & divino, ad sacra ejusmodi Spartæ ornamentum proclivis & idonei. Quo etenim intuitu, quis iniquus adeo fuerit, qui hominem coelesti robore & vocatione extraordinariâ instructum, duplici provinciae obeundæ parem, & vocatum inficietur? Eodem scilicet, id est extraordinario planè ritu & modo; quo vel Heli, vel Samuel aliquis olim, ad Sūmi Sacerdotis & Judicis simul munia aptus & vocatus agnoscitur: vel quo Melchisedecus, si merus homo fuit, Regio & Sacerdotali simul munere inusitato & typico ritu functus fuerit: vel quo deniq; etiam, laudatum & immortalē illum Ascaniæ Principem prægnanti necessitatis casu, & urgente Operariorum in messe Domini, sub primis instaurandæ Ecclesiæ Dei auspiciis, penuriâ, Pastorem animarum, æquè ac corporis egisse intelligimus.

Sed vela Orationis & dissertationis meæ cōtraho A. A. ad hoc æquè ac ad reliqua, quæ mihi met à limine plausibiliùs adversantia ob-
jeci

jecti Exempla, uno ac prægnantiori simul de-
 functurus respõso: Dico enim & edico pau-
 cis: In Republicâ Christianâ, si in ullâ, non
 Exemplis, sed Legibus, sed jure esse vivendum.
 Adeò ut, si obijciatur, vel cõtingat, non deesse
 Sacrorum in nostratibus Mystas, Episcoporũ
 Romanorum typho sæculi inflatorum æmu-
 los; reponamus, illos Leges Ecclesiæ Christi-
 anæ nequaquam figere: sed infirmitatis poti-
 us humanæ exẽpla nobis præbere: Eos é nu-
 mero & censu eorum esse, de quibus sapien-
 tissimus Neronis Præceptor enuntiat; *instar*
ovium ire quã itur, non quã eundum est. Non
 diffitemur Duces Ovium, Oves sæpè, & er-
 raticas esse: Stellas quidem in sacro Dei Ver-
 bo quandoque vocari: sed & dari quasdam
 palantes & erraticas recordãdum est: Ange-
 los eosdem dici, sed & homines simul: à qui-
 bus nihil humani alienum arbitrandũ fit: Pri-
 mum & imbibitum à primo homine vene-
 nũ, ambitionis fuisse: quod se ita facilè in ve-
 nas omnium ejus posterorũ dididit, ut auri-
 gantibus occasionum & commoditatum ar-

culis, haud mirum sit, si Christi etiam Ministrorum nonnullorum animos titillare, & ad apices mundanos sollicitare valuerit: non tamen omnium, Dei sic prohibente gratiâ, sed paucorum; non tamen jure, non tamen receptis Disciplinæ Ecclesiarum nostrarum Sanctionibus. Unde Vobis jam in proclivi est, Auditores Optimi, judicare, quàm remissè, quàm parùm, quàm nihil stringant, vèl nos premant liminares illæ Exemplorum Copiæ, quas Velitum instar præmisimus. Si nec Christianorum, nec quidem defæcatoris professionis, Exempla, vim ligandi obtinent: ecquid quæso movebimur Exëplis, quibus cœca Gētilitas, salutari Oraculorum divinorum Lāpade destituta, & fatuos demum caligantis rationis ignes sectitās, præludat; vel quibus labascens, & confusus Reipublicæ Israeliticæ Status, multisque aliis laborans deliquis, præeat?

Sed unum adhuc habeo, eumque novissimum, animis vestris eximendum scrupulum: quem à limine injeci; desumptum à ritu
&

& more in Academiis, etiam Christianis, etiam puriorem Fidem profitentibus recepto; Sceptrum scilicet, & alia potestatis Insignia, Christi Ministris, & Theosophiæ, æquè ac aliarum Facultatum & Artiũ Mystis & Antecessoribus deferēte. Sed præter quàm quòd jam à limine, istud moderandi Clavum Scholasticum munus, Oneris magis, quàm Honoris, aut Dignitatis nomen mereri insinuavi; præterquàm quòd quicquid istuc est muneris, ambulatorium est; non tam Dignitas est quàm Ordo & *ἑνταξία* quædam in coetu parium Collegarum; & intuitu Civium Palladiorum, Disciplinam potiùs Paternam, quàm Potestatem Judicariam portendens. Formã certè Sceptri nostrum habet, sed formam & simulacrum unicè: gemellum Serpenti olim æneo, qui Serpentum quidem aliorum figuram habebat, non verò venenum: vel potiùs geminum forsan Sceptro illi quod post missam sub jugum Romanum Palestinam, medium & pendulum in Synedrio hæsisse, referunt Historici: Judæis potestate quenquam

ad

ad mortē condemnandi destitutis. Denique, ut veriùs & propiùs dicam: Sceptrum est, sed significatu Hebræorum, quibus Sceptrum Virga est, & Virga Sceptrum; id est paterna emendatio, paterna in Viam Pietatis & Virtutis deductio, aut reductio.

PARÆNESIS

Ad Studiosam Juventutem,

Ita est, ò dilectissimi Cives nostri! Sceptrum Academicum, non tam Insigne est vel auctoramentum Potestatis civilis, quàm Paternæ auctoritatis unicè Symbolum: non ad typhum certè nostrum sècularem, sed ad bonum vestrum cœleste & terrenum, ad vestrâ educationem, & institutionem unicè destinatum, unicè faciens. Leges & proinde nostræ, non Rhadamanti, aut Minois alicujus: non Leges etiam Atticæ Academiæ, ad eam cõparatæ severitatem, quæ omni risu, omnibus interdictis Hilariis, meros & caperatâ fronte Catones videbãtur velle efformatos: sed Leges sunt, quæ juxtâ cum Ecclesiasticis, CA-

NONUM

NON NUM magis quàm Legum nomenclationē
 sibi vindicant: imò Leges quas ΣΕΙΣΑΧΘΕΙΩΝ,
 sive allevamentorum, cum Solonis Legibus,
 nomine & elogio dones optimè: & quæ de-
 nique, magis amore Virtutis, quàm pœnæ
 formidine, odium peccati insinuent, & ani-
 mis ingenerent. Quo quidem vel solo nomi-
 ne & intuitu, tam blandi, tamque paterni re-
 giminis; quis vestrum, nisi feroculus & solu-
 tus, lenenoltrum subire jugum; & paternis
 Legibus obsequium detrectet? Quis, nisi cui
 de duriore & viliori luto, Titan præcordia
 finxerit? Quis verbo, nisi glorioso STUDIO-
 SI nomine indignus? Namine certè & glo-
 rioso & liberali, & omnia in se ad obsequiū
 incentiva, apud generosas saltem animas, am-
 plectente! Constat ex Historiæ monumentis,
 CÆSAREM olim, rebelles & tumultuantes fe-
 rocientium Legionum Romanarum animos,
 unicâ Voce QUIRITIUM, unicè QUIRITES!
 inclamando, confestim pacare, & ad ratio-
 nis gyrum revocare, desubitò valuisse: vo-
 culâ scilicet illâ, Civium Romanorum & di-
 gnita-

G

gnita-

gnitatem & officium in memoriam & ad a-
 nimum revocante. Ecquid quaeso gloriosa &
 momentosa illa STUDIO SI nomenclatio, &
 compellatio, minoris energiae, minus flexa-
 nimae virtutis fuerit, in animos, non sub ve-
 xillis sanguinarij Mavortis, non sub pellibus
 induratos; sed animos imbellis turbæ, Arti-
 bus Pacis, Artibus Pietatis, Justitiæ, & Libe-
 ralibus denique, operantis! Nam ut Vos an-
 te omnes compellem, ô Deo, & Sanctuario
 Ejus sacrata & consecrata Turba! Ecquid
 non modò Studiosorum, sed & Studiosorum
 Θεοσοφίας & Θεοσεβείας nomen gerere, & Vobis po-
 restis vindicare, immemores interim Officij
 vestri? immemores, vos non demum Legum
 sanctioni & sanctitati subiici debere, sed &
 præire & prælucere aliis exemplo? exemplo
 & Pietatis & Probitatis? Sanctum enim cui
 initiamini, & sacramini Ministeriũ, non lin-
 guâ demũ, sed & Vitâ præsertim, Præcones
 pietatis exigit: inauspicatum illud Vocis Ja-
 cobi cum hispidis Esavi manibus conjugium
 longè respuit: ut monstra reiicit, qui linguã
 longè

longè prolixiorē habeāt manibus : vel qui cum illis apud Epictetum Sophis, tales demū sint, ἀλλοι τῷ λέγειν, ἀνδρὶ δὲ πράττειν: Ignava opera, philosopha sententia: Et Vos, si qui adestis Themidis Cultores, quos sacratissimus Imperator, Justitiæ Sacerdotes gloriose nuncupat, & qui speciatim Legum Studiosi auditis; studiosos vos nostrarū ante omnes exhibete; viam quippe veram & compendiosam prudentiæ Iustinianæarum imbibendæ vobis indicantiū, & præsternentiū! Idem est Legum nostrarum, & Institutionum vestrarum compendiū, tribus Juris Præceptis comprehensum: Honestè vivere; Neminem lædere; Unicuique suum tribuere. Vos denique, Bonarum, & humaniorum Literarum; Vos Artium Liberaliū, & Civiliū Studiosi! ostendite Vos liberali animo litare & seriò operari: Humanitatis studia, vobis emollire mores, nec sinere esse feros: Liberales & Civiles Artes, generoso pectus honesto ita incoquere, ut animum supra vulgus & fecem plebis erigant. Demōstrate & præstate Vos Philosophos, Sapien-
tiæ

tia amantes: non ut illi prisci & vani, perâ
 demum & abollâ, solâ & externâ nomēcla-
 tione: sed reipsâ, sed fructibus luculentis, a-
 morem & studium sapientiæ exerendo, atte-
 stando. Hæc quidem si sperare, si impetrare,
 à vobis liceat; sperabimus & impetrabimus si-
 mul & indubiè, cœlestes & adspirâtes Supre-
 mi Numinis nutus; largas & depluentes cœ-
 litùs gratias, in omnia quæ plantabimus, &
 rigabimus: in labores nostros; in conatus ve-
 stros omnes: ad perenne vestrum bonum; &
 æternandum Herbornæi nostri decus. An-
 nue, & exaudi nos, Pater misericordiarum!
 Annue! Exaudi!

DIXI.



Kd 2246

ULB Halle
002 800 578

3




5b.

M. S. VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue



HEINBERGII

33.

TIO

US MUNIIS
ANDIS.

A

propriid. Kal. Aug.
I. in Incluto
ciperet.



*Cour Mons.
Wilhelmi,
son trestble ser
Steimb.*

OVIORUM.
ypographi. 1668.

